

CAPUT VII.

De Arte Tibias inflandi.

Tibicinum officium in flando existit: unde *Festo: Flator, Tibicen.* Et apud *Arnobium* lib. 2. *Adv. Gent. Tibia calamoque flatantes,* pro tibicinibus. Sic Tibias inflare dixere Latini, ubi usus Tibiarum exprimendus fuit. *Tertullianus* advers. Marcionem lib. 2. *Nec tu enim si in Tibiam flaveris, hominem Tibiam feceris, quanquam de anima tua flaveris, sicut & Deus de spiritu suo.* Non ab simili loquendi modo *Apulejus* lib. 6. *Ut Musæ quidem chororum canerent, Tibias inflaret Satyrus, & Paniscus ad fistulam diceret. Arnobius* lib. 2. *ut inflandis bucculas distenderent Tibiis.* Atque eleganter *Claudianus* Panegy. de Consul. Manl. Theod.

*Qui nutu manibusque loquax, cui Tibia flatu,
Cui plectro pulsanda chelys.*

Ita